

*De secunda obsidione Castileoni/ seu Castri Leonis [a].*

## CAP. LXIII.

XVI. 6

Cum Forolivienses omnibus suis vicinis et amicis atque sibimet ipsis vicissim jocosa <sup>ibus a</sup> opprobria [b] quasi ex more, non tamen laudabili [c], et quodam nimio linguae pluritu<sup>b</sup> [d] objicere consueverint, [e] Faventinis jocose multoties [f] et quandoque mordaciter obiciebant, illos non posse denarios clare eligere, eo quod tu<sup>f</sup>res Castris Leonis eis umbram inferrent non modicam. Quo quidem verbo, Faventinis non grato, [g] sed venenoso, et aliis emergentibus hinc inde occasionibus, Forolivio et [h] castro Castelloni [i] bellum inferendum Faventini publice clamaverunt. Sub anno itaque Domini MCLXVIII, reformata in integrum amicilia cum comite Guidone [A], et jumentis in mense <sup>M</sup>aii [j] Faventiae in Broilo [k] ante domos Guidonis et Henrici de Albérico fratrum, firmata, composita etiam pace cum Ferrariensis, qui duos manganos, Asinum scilicet et Falconem vocatos, Faventinis donarunt, cum quibus noviter Argentam ceperant: praedicto vero anno die sexto mensis Octobris Faventini omnibus rite paratis castrum Castelloni [l] obsederunt, veniente ad eorum servitium comite Guidone Guerra, Amolensibus, comitibus Bagnacaballi, Cunii, Cavalcacomite cum comitibus Castrocarii et montanariis nostris; Bononienses vero, optime necessaria ad expeditionem præparantes, jam egressi civitatem [m], obsidioni interesse non valuebant [n]. Afflictis itaque, qui in castro erant, per xi dies omnium tormentorum generibus et maxime manganis, et castro jam pene devicto, apparuerunt Ravennates super Cosnam<sup>[B]</sup>, et Livienses cum Ariminensibus, Cæsenatibus, Bretenoriensibus, abbatte Galiatae [o] [C] et multis aliis. Postquam hostes nostri viderunt, ceteris curis relictis [p], illico arma sumentes, parati ad bellum sicut leo ad prædam, ipsos aggredi, sicut lupus gregem, ardebant. Sed heu! quid faciet bellicosa iuventus, si, unde ventus audacie afflare debebat, nubes timoris attulerit frigus? Proh nefas! respicientes siquidem retro, tentorium consulum nimia colligi festinatione viderunt. Vq-

[a] *Castileoni, seu Castri Leonis, C. M. sic; In C. V., Castilioni, et Castri Leonis.* [b] *jocosa opprobria.* In C. M., *jocosa opprobria* — [c] *non tamen laudabili*, C. A. In C. M., *non tamen laudibus.* — [d] *linguae pluritu*, C. V. In C. M., *lingue pluritu.* — [e] *objicere consueverint*, Codd. M. et A. In C. V., *objicere consueverunt.* — [f] *Faventinis jocose multoties*, C. V. In C. M., *Faventinis jocose multociens.* — [g] *Faventinis non grato*, C. V. In C. M., *Faventini non grato.* — [h] *Forolivio et*, C. V. In C. M., *Forlivio et.* — [i] *castro Castelloni.* Sie C. M. *castrum Castilioni*, C. A.; *Castro Leonis*, C. V. — [j] *in mense maii.* Sic Codd., pro *maii.* — [k] *in Broilo.* Sic Codd.; de quo supra. — [l] *castrum Castelloni.* Sic C. M. In Codd. V. et A. *castrum castellioni.* — [m] *egressi civitatem.* Sic Codd., pro *egressi civitate.* — [n] *non valuerunt.* Sic Codd.; fortasse legendum: *non valuerunt.* — [o] *Galiatae et.* Sic Codd. [p] *ceteris curis relictis*, C. V. In C. M., *ceteris curris relictis.*

[A] *Comite Guidone, scilicet, Guerra.*[B] *Cosna est rivus viam Æmiliam, qua Forolivum tendimus, sexto ab urbe nostra lapide, intersecans. Item aliis locus est huius nominis, eadem in via, ad quartum lapidem tantum situs, adeoque nobis multo propinquior.*[C] *Galiata est abbatia cum oppidulo, ad meridiem Forolivii in Apennino, milliariis quatuordecim procul ab ea urbe locata.*